



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Reverendissimi Ac Illustrissimi Domini Domini Francisci
Fenelonii Archi-Episcopi Cameracensis, Et Quondam Ab
Humanioribus Litteris Serenissimi Ducis Burgundici
Telemachus**

Fénelon, François de Salignac de La Mothe

Francofurti, 1744

VD18 11007532

Lib. XII. Argumentum. Idomeneus invitatus ad fidus contra Daunios,
Mentoris hac in re contentio. Centum Cretenses nobiles foederatis permissi
cum Telemacho. Tristis discessus à Mentore. Correcti ab ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69283](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69283)

depellendæ iniuriæ, desperavimus libertatem. Et nostrâ & Idomenei interest propulsare à cervicibus hunc hominem, vicinorum omnium libertati inimicum. Nobis acie victis, idem Salento incidet discrimen. Maturemus igitur prævertendo malo remedium. Dum hæc disputantur à Nestore, processere ad urbem. Invitaverat enim reges & nobilissimos ducum Idomenei humanitas, officiosè rogantis, ut illuc secum pernoctaturi concederent.

TELEMACHUS.

LIBER XII.

IAmque tabernacula collocabat fœderatorum exercitus, velâque tum pretio tum colorum varietate conspicua intendebat, opportunum futuræ post molestias quietis auxilium. Urbem ingressi hospites mirabantur haud obiter, tantillo tempore ædificia hoc numero luxûque potuisse educi, & ne bellum quidem tanti apparatus incremento adolescentis colonix festinatôque nitore eius obstitisse.

Cœperat hospitibus stupori esse Idomenei sollicita sapientia; auctôrque regni tantæ spei & iam socius, credebatur augere posse, quantum satis esset, fœderatorum vires, si accederet pugnaturis in Daunios. Suadetur itaque Idomeneo, una coiret in fœdus, & ille tam æqua petentibus reluctari non debere ratus, promittit militem. At Mentor ut non erat rudis eorum, quibus regnorum ortus alerentur, ita facilè intellexit, Idomenei potentiam verò maiorem credi. Ergò seductum eum privatim adhibens:

E re

Et re tua vides, inquit, fuisse, quæ cum cura præstitimus tibi. Triumphat Salentum ereptum instanti periculo. Tuæ nunc opis est, decus & laudem huius civitatis cælo, te Minoi, ex quo nepos es, gubernandis populis æquare. Liberè tecum rursus ago, quoniam pro certo assumo, id amari à te, nihilque præter verum peti. Ego, luxum tuum magnificentiamque demirantibus regibus, tuam temerè agentis vecordiam mecum perpendebam.

Mutavit rex vultum, vecordiæ prolatò vocabulò : micabant confusi oculi : genarum lætitiæ intercedebet importunus rubor. Proximum erat, ut impedito hospitis sermone ostenderet, dixisse, quæ displicerent. At Mentor libero vocis sono, præter importunitatem & contemptionis notam aucto : Offendit te, ut video, vecordiæ nomen, quo si quis præter Mentorem utatur, culpæ dabo. Reverenter quippe agendum cum regibus, cavendumque, ne vel reprehensio moveat eorum delicatum fastidium ; cum ipsa veritas, etiam non accedente ex verbis pondere, sat iisdem gravis sit. Ego verò credidi, à te etiam non lenitibus vocibus admonentem erroris me fore suscipiendum. Proposueram scilicet, aures tuas propriis rerum vocabulis assuefacere, tibi que persuadere, cum de vita & moribus tuis consulueris alios, te nunquam respondentem cogitationi responsionem auditorum. Quam ob rem necesse est, ut, nî velis decipi, ultra responsi terminos progressus animò, semper amplius, quàm sit de re tibi iniucunda dictum, percipias. Me quod attinet, lenior, si ita vis, ero. Ceterum expedit hominem esse, qui fordidò

didô rerum suarum studiô liber perspectæque benevolentia, remotis arbitris tecum agat durius. Et rum quidem istius hominis genere dicendi præter ipsum utetur nemo: sed neque aliud præter semissem veritatis eumque splendidissimis dissimulatum fucis accipies.

His vocibus, iam compresso priore impetu, in ruborem datus rex, quod vellet adeo cautè & consideratè secum agi, ad Mentorem: Vides, inquit, adulatoribus quid sit assuevisse. Ego regni mei salutem in acceptis tibi refero. Incrementum felicitatis, quoties ex te verum, accipio. Sed commiserare regem, quem veneficium pervertit adulationis, & cuius nec infelicitas reperire potuit audacter veridicum. Non potuit, inquam. Neque enim unquam reperi, cui tanti fuerim, ut offensam meam, quàm culpam palliatæ veritatis maluerit incurrere.

Hæc quidem rex fluentibus lacrymis, & cum amicissimo salubria monentis amplexu. Tum Mentor: Quàm velim, rex, inquit, tractare te mitius. Sed qui possit fieri, ut verum te mala fide Mentor celet? Finge, te esse, qui ego sum; in fraudem si es deductus, ipse præbuiisti manum, averfatus, à quibus dabatur simplex consilium. Num quæsvisti viros, rebus suis nihil iniquæ navantes operæ, & omnino audaces sententiæ obloqui tuæ? num cohortabaris ad ferendum iudicium homines nihil amicitia tuæ, nihil commodi studiosos sui, nihilque trepidos damnandi, quæ appetebas præter rationis suffragium? amovistine aut suspectos habuisti, quorum manifesta tibi erat virtutis simulatio? Aliud agebas fanè; neque

que illud, quod agunt, quos dignos cognoscendi veri amor veritatis facit. Age, experiamur, an nunc saltem ita in potestate habeas animum, ut simplicissimò veritatis adversum te iudiciò non moveàre.

Afferebam paulò antè, digna vituperiò esse, quæ tantam admirationem tibi conciliant ab hospitibus. Dum tanti hostilium armorum apparatus foris strepunt tibi; dum regno tuo adhuc tenui, inopi, sterili paratur exitium: tu intra nascentis oppidi ambitum in condendis ædificiis ad invidiam magnificis totam comburebas operam. Hoc est, quod tot implacidas (ut fatebaris) & infomnes tibi creavit noctes. Hoc est, quod ærarium privavit nummis; quin tu curàris aut propagare tuum populum, aut colere hanc mari adiunctam tantasque opes promittentem glebam. Quæ duæ res numquid totidem bases & fundamenta tibi debuissent esse, quibus tota potentiæ tuæ inniteretur moles? Nónne providere debueras, ut bonis abundares subditis & bene cultis agris, ex quibus aleres tuos? His autem initiis opus erat diuturna pace, quibus iuvarentur incrementa amplificandi populi. Opus erat præterea, unicè ad subigendam glebam, constituendâsque optimas leges incumbere. Infana libido gloriæ te adduxit in extremum periculum; famæque illustrandæ pertinacia iam ibat perditum, quidquid veræ habebas famæ. Vide itaque, quamprimum medelam opponas, quod fecisti tibi, vulneri. Moram ædificiis & substructionibus, quas magnificentiores cogitas, statue: renuntia luxui, pesti futuræ novæ coloniæ: sine pacis otio reparari subditum: fac opibus polleat,
ut

ut facilius ipsi sit ad crebra connubia aditus. Memento, ex eo te regem esse, quòd multis imperas, neque vires tuas censendas ex amplitudine regionum, quas occupaturus es, sed multitudine hominum, quibus in iisdem regionibus dominabere. Esto, regnum tuum circumscribant mediocres termini. Quodsi illud copià impleveris hominum, in quibus par sit industria & probitatis & operis: nã tu victorum omnium potentia, felicitati & gloria post quantaslibet regnorum rerumque publicarum everfiones haud invidabis.

Quo igitur pacto (Idomeneus rogabat) me in ore tot regum geram? Fatebor errasse? Utrique neglexi agros: prætermisi, ex orã huius situ quantumvis expedita, commercia. Ædificandæ splendor urbis totum occupabat Idomeneum. Meámne igitur laudem, chare hospes, ipse & tot regibus levabo? ostendam, egisse nullo consilio? Levabo, si necesse sit, nulla habita ratione obsistentis animi. Nimirum didici ex te, verè regi, quoniam non sibi sed populis omninò natus sit, imperii salutem famã suã habendam esse antiquiorem.

Imò hic animus, ita Mentor affirmat, decet dignitatem eius, qui populorum sit pater. Hic affectus tuus, non pompa civitatis tuæ ostendit, habere te animum, quem postulat digni regis conditio. Parcendum tamen est famæ tuæ, ne quid inde regni tui patiatur salus. Ceterùm id mihi committe. Monebo sine mora reges hospites, tibi incumbere, ut Ulyssi, si nondum occiderit, aut certè filio eius imperium Ithacæ, eiectionis Penelopes procis, recuperes. Et sanè intelligent, mediocribus copiis id confici genus belli non posse; satisque
puta-

putabunt esse, si à te exiguam manum in Adrastum accipiant.

Vidisses ad hæc verba Idomeneum dempta quasi mole liberiùs spirare. Certe haud aliàs lætiori vultu: Facis, inquit, amice, celandô attenuatas opes, ne hæc cum rege suo civitas vilescat extraneis. Sed qua specie veri dixerim, ablegatum à me iri, qui Ulysssem vel certè Ulyssis filium Ithaciis restituant, cum Telemachus ex promisso se adiunget profecturis in Daunios? Verùm & hac eum cura liberans Mentor: A veritate, inquit, nihil alienum dicam. Quas ad instituendum commercium dimittes naves, abibunt in Epirum. Uno eodémque itinere agent duo. Nam & institores exteros allicient ad Salenti portus, parùm frequentatos ob vectigalium avaritiam; & de Ulyssse captabunt certiora. Qui si superstes sit, circa freta necesse est eum versari, quæ ab Italis dividunt Græciam; quoniam sunt, qui asserant, fuisse apud Phœnices visum. Quodsi verò spem illius videndi, quos es missurus, non renovent, optimam nihilominus operam navabunt Telemacho. Et filius & genitor creditur periisse. Itaque nuntius, Telemachum vivere, Ithaciis pariter atque vicinis gentibus terrorem inferet. Qui Penelopæ obtrudunt invisas nuptias, trepidabunt, audientes, Telemachum rediturum cum auxiliis. Incolæ non audebunt mutare imperium. Respirabit Penelope, novoque spiritu reiiciet importunos procos. Hoc modo utilis eris Telemacho, dum ipse pro te inter fœderatos Hesperios armis Dauniam gentem petet.

His vocibus provectus rex ad exclamantis forum,

num,

num, felicem regem cœpit prædicare, cui numquam deessent, qui suaderent salubria. Fidem & prudentiam amicorum ipsi magis, quàm invictos exercitus expedire. Bis verò beatus, aiebat, ille rex est, qui cognito felicitatis suæ fundamento, eâdem noverit ex idoneis amicorum consiliis in rem suam uti. Neque enim illud est infrequens, regem quidem habere viros sapientes & sanctos; sed quorum probitatem averfatur, movétque ab amicitia & aspectu suo, ut tantò liberius aurium mancipiis & adulatoribus præter metum perfidia vacet. Atque hoc peccatum ego quoque peccavi. Neque celabo te, quanta ob insidiosum amicum mala pertulerim, qui ut in his oculis meis iniquæ cupiditati suæ pareret impunè, mearum cupiditatum studiosissimus patronus extiterat.

Post hæc levis operæ fuit Mentori, socios reges docere, Idomeneo res Telemachi agendas fore, dum in eorum castris versaturus sit juvenis. Sufficiebat ipsis, Ulyssis filium esse inter auxilia præter centum Cretenses egregiæ iuventutis, quos Idomeneus sociabat Ithaco. Hi principes erant iunioris nobilitatis, ex Creta profecti cum rege, à quo interesse sociorum bello iuebantur Mentoris consilio. Quippe prospiciendum hic aiebat esse, dum per pacem liceret, amplificando populo. Oportere tamen iuniorem nobilitatem ablegari in externam militiam, ne tota natio unà cum belli artibus torpescat. Vel sola hac ratione ardorem gloriæ, armorum exercitationem & studium, solertiam, ipsúmque adeò contemptum mortis posse in omnium animis excitari.

Disce.

Discedebant fœderati reges Salento tam præclarè sentientes de Idomeneo, quàm Mentoris addicti sapientiæ. Neque parùm gratulabantur sibi, quòd Telemachum socium erant habituri. Is verò, cùm amicum suum cogebatur relinquere, ne tacitus quidem dolebat. Ergo regibus ultimo consalutantibus Idomeneum, æternàmque fœderis societatem sacramenti repetentibus fide, Mentor amplexu stringit alumnum suum, fletúque ita dolentis obruitur: Tantum abest, ut parare mihi iam gloriam velim: ut profectionem à te meam duntaxat libeat deslere. Redeunt cheu! luctuosa tempora, cùm in Ægypto mihi sine spe recuperandi tui eripiebaris.

Mentor lenissimîs verbîs dolori occurrens: Discessus hic, inquit, longè alius atque ille in Ægypto. Liberè hîc separamur, & ad tempus. Tu etiam in spem proficisceris illustris victoriæ. Mentorem, fili, ama fortiter, non molliter. Disce carere meî, qui non semper tuum stipabo latus. Sapientia & virtus magis quàm præsens comes, necesse est, ut agenda te doceant.

Dum hunc in modum Telemachi firmatur animus, Minerva dissimulata Mentoris habitu iuveni, obiecta Ægide, spiritum sapientiæ & consilii, intrepidam item fortitudinem moderationémque facillimam, rarò in eodem convenientia bona, impertivit. Si utile erit (Mentor pergebat) non evitare discrimina, te in illa vel extrema dare ne dubites. Turpiùs Princeps fugit in bello periculum, quàm abest à bello. Imperatoriæ virtutis ea sit, oportet, fidelitas, in quam cadere mutationis non possit suspicio. Ducem regémve conservare

opus subdito, sed magis, ita videre se gerentem, ut de virtute eius dubitari non queat. Memento ducem exemplum esse, ex quo multitudo petat animos. Contemptor itaque omnis periculi, vitam potius redde, quam speciem dubiæ fortitudinis. A periculo, quod est prorsus subeundum, summa vi plerumque adulatorem studebunt avertere; quibus si tum facile acquiesces, iidem ignominiam angusti animi te clam notabunt primi. Sed neque inutile velim tibi deposcas discrimen. Fortitudo, nisi rationi conveniat, non virtus sed stolidus vitæ contemptus & insanus ardor est. Periclitatur præter legem & impotenter incitatus animus. Qui in periculis nescit imperare sibi, præceps est in morosam ferociam, nec meretur generosus dici. Altior se ipso debet esse, si nullo velit pulsari metu, cuius semen natura insperfit animis. Itaque etsi non fugiat; at ille saltem turbabitur: deficient libertas animi, à quo suggerenda essent salubria imperia, ut occasionum opportuno usu profligari hostis & patriæ promoveri salus queat. Esto, is ardeat, quantum opus militi; at non sapit, quantum opus Duci. Quid? quòd ne quidem ardet, quantum opus gregario militi. Nam etiam vulgus militiæ ipso æstu pugnae animum debet præsentem habere, idoneumque imperantis nutum cum moderatione sequi. Discriminis temeritas expultrix est militaris disciplinae, exemplum agendi sine consilio, neque rarò totius ruina exercitus. Qui amplius ambitioni, quam salutis dant publicæ, pœnam merentur, non præmium.

Cave igitur, dilecte fili, æquò sis incitator ad gloriam; cuius parat tutissimum aditum idoneæ

occa-

occasionis non difficilis expectatio. Virtutis quò maior simplicitas, moderatio, & demissio; eò maior est reverentia. Necessitati subeundi discriminis semper coæquanda est renovata circumspectio ardorque pugnandi, quæ duo bona semper augenda in militaribus animis. De cetero noli tibi conflare invidiam, aut felicitati invidere alienæ. Laudabis honesta, non æqualiter, sed quantum par est: bona referes sine tristitia: mala vel tacebis vel cum mœrore attinges. Præter veteres duces si adhibearis in consilium, suspende sententiam. Per ætatem ignoras plurima, quæ longo ipsi didicerunt usu. Auscultandi tibi sunt cum reverentia, consulendique; peritiores autem rogandi, te ut instituant; optimosque eventus tuos eorum præceptis sine rubore adscribes.

Et ne multis: noli unquam in aures susurros malignitatis admittere, id agentis, ut ceteros duces aut æmuleris aut metuas. Amicè & candidè cum illis age. Quod si eos de noxa tibi putes teneri, mentem illis tuam doce, causasque admonendi. Nisi adèd angusti egenique erunt animi, ut hanc ingenuam rationem agendi percipiant minùs; tui erunt, nihilque omiffuri, quod eos postulaveris. Contra à bona voluntate tua si humilior captus eorum dissentiet: ipse, quod delinquere amant, intelliges tibi ferendum esse cum patientia. Eum præbebis te, ut, quamdiu militabis cum ipsis, causas & alimenta subducas controversis; atque ita non erit, quod ipse tibi obiicias. Præprimis autem cave, ne quoddam genus adulatorum, ferendis natum discordiis, cognoscat ex te causas querendi, quas adversùs socios duces te putas habere.

Ego interea (Mentor subiungit) Salenti diversa-
bor, Idomeneo futurus particeps laboris, quem
saluti gentis suæ impendet, & erroribus omnino
emendandis, quibûs auctorum suorum malitiâ
vitióque adulantium primordia sui regni implicuit.

Subinde Telemachus se continere non poterat,
quò minùs ostenderet Mentori, Idomenei mores
sibi admirationi esse, viderique eum gerere se non
nihil infra dignitatem. At Mentor increpantis
vultu sonóque : Putâsne accidere præter consue-
tudinem, ut summorum virorum personis, quam-
diu humani corporis teguntur exuviis, quædam
humanæ fragilitatis notæ & reliquiæ inter innu-
merabiles tricas molestiâsque, quæ frustra à Pur-
pura separantur, inhæreant ? Idomeneum primi
adèò anni ad luxus & superbiæ præcepta finxe-
runt, fictúmque exercuerunt. At quotusquisque
sapientum in ea conditione satis restitisset palpa-
tionibus ? non contendo, eum, quibus assueverat,
duntaxat fuisse deditum, quantum profuit. Sed
& coronata sapientia, quantumcunque nitatur,
numquam se præstabit ab omni fraude immunem.
Agendis omnibus unius regis non sufficit manus,
opûsque habet, quibus partem oneris seque ipsum
committat unâ. Qui porro admittendi sunt ad latus,
numquam à regibus noscuntur, quantum à subdi-
tis. Profanantur scilicet impudentissima simula-
tione Principum oculi, cunctis que machinis fal-
lendi eisdem imponitur.

Hæc ita esse, ah ! quoties tibi probabit experi-
entia ! Nec virtutes, nec dotes habent mortalium
animi, ab ipsis quas exigis ; & quantamlibet de-
deris iis noscendis observandisque operam, deci-
pieriis

peris tamen in dies. Sed neque optimi, si adhibeantur publicis curis, satisficient tibi. Nam & pertinaces sunt, & difficillimi ingenii, nec liberi ab invidia. Frustra eris, si ipsis persuadere quid velis, aut à more suo deflectere. Pro subditorum numero augendi sunt eligendique homines, quorum opere ampliora curis tuis, perficias. At quò frequentior eorum est multitudo, qui publicis munebibus sunt præficiendi, eò in illis legendis frequentior est errori locus.

Sunt hodie acerbissimi mastiges regum, qui eodem si cras potirentur gradu, haud sanè minus existerent innoxii; quin & eadem & etiam graviora committerent. Privatus quisque vel mediocri cum eloquentiâ naturæ suæ vitia potest involvere, tantùmque ementita eius lumina commendare, ut provinciarum omnium, quibus caret, videatur dignus. At potestas & authoritas, lapis quidam Lydius dotum animi, quid quantumque desit, ostendunt. Vitro similis est dignitas, reddenti acceptas rerum species cum incremento. Amplificatur notabili magnitudine, quidquid peccant honorum fastigia, ubi scintilla excitare incendium potest, minimâque afferre gravissimas molestias.

Totus orbis defudat identidem in observando & quam potest severè iudicando uno, qui imperat, homine. Ipsi autem, qui iudicant, rudes sunt status eius; ignarique difficultatum, quibus implicatur, quandam in eo divinitatem exigunt, eximiam à fragilitate, quæ innata humano est generi. Rex quantumlibet bonus & sapiens adhuc tamen homo est: tam ingenii quam virtutis limitibus circum-

scribitur: non sensu, non cupiditatibus caret, nec indolis etiam habitudine, quam nequeat rationis freno satis perdomare. Circumstrepit hoc latus eius molestissima versipellium hominum industria, alterum sordida temporum calliditas. Arcentur, quæ petit, auxilia; quotidie quædam vel sua vel perversa voluntate suorum peccat; & errori emendato emendandum nectit. Sic sapientissimi, sic optimi reges vivunt, quorum vita etsi longissima, & conformata probitati, numquam sufficit corrigendis in fine, quæ præter voluntatem commisere initio.

Necessaria hæc mala Regum sunt, quibus perfectendis nunquam par humana fragilitas. Miserandi reges propterea, & accusandi mitius. Aut non misereamur eorum, qui non tam hominibus quam miseris imperantes, dum bonitate imperandi eas conantur mitigare, in abyssum abeunt curarum & laborum? si fateamur, quod res est: infelices homines necesse est dici, quod gubernari debeant à rege, naturæ non alterius, sed suæ duntaxat ipsorum particeps. Profectò divina opus manu erigendo hominum ita profligato generi. Sed & infelices ipsi, qui regnant; quippe qui ex natura sua fragiles & imperfecti, præesse tamen coguntur innumerabili depravatæque fraudulentorum hominum multitudini.

Hic Telemachus alacri responsò: Post amissum suâ culpâ patris in Creta Imperium Idomeneus amisisset & hoc alterum Salenti, nisi tu subvenisses consiliò. Fatebatur Mentor vehementer utique peccasse Idomeneum. Sed da mihi, inquit porrò, regem etiam ex optimè moratis Græciæ ceterarumque

rúmque gentium Imperiis, qui semper deliquerit intra excusationem. Nec summorum quidem virorum natura habitusque animi sine vitis est, quæ non libeat sequi; verissiméque omnium laudantur, qui, quæ commiserunt perperam, nec agnoscere, nec emendatione verentur diluere.

Ulysses Genitorem tuum, Heroem unum, ad cuius exemplum effingenda Græcia, credis nulla parte fuisse infirmum? quoties fortunæ casibus implicitus incertusque, fuit collapsurus, nisi singula eius Minerva præsens dispensasset vestigia? quoties repressus, quoties confirmatus ab hac Diva est, ne unquam tramitem desereret virtutis ac gloriæ? Sed neque, cum videbis in Ithacæ folio clarescere, illum puta futurum innoxium. Erit citra controversiam, quod in eo notent delicatiores oculi. Fuit nihilominus Græciæ, Asiæ, insularisque Oceani admirationi. Alia atque alia ornamenta, quibus abundat, retundunt videlicet minùs ab eo rectè factorum memoriã. Tu verò felicitatem tuam absolves, si eum intueri oculis, moribus velut exemplar tuum præter cessationem valeas imitari.

Cura, mi Telemache, ne assuecas ab excellentissimis etiam heroibus requirere, quàm quod cadit in humanas vires. Arrogat sibi rudis omnium rerum adolescentia censoriam quandam insolentiam, quæ facit, ut contemptis ideis, ex quibus virtutis petenda essent exempla, ad omnes stimulos imitationis superbè arrogantèrque occallescat. Itaque non unus pater (quamquam nec ille prorsus innoxie virtutis) amore tibi erit cultùque ac imi-

tatione prosequendus ; sed & singulari observantia suprâque vulgus colendus Idomeneus.

Tametsi enim multa corrigenda, monendâque attulerit ; at candidus est & amans æquitatis. Liberalitatem sectatur ; colit beneficentiam. Fortitudini eius nihil addiderim. Siquam cognoscit fraudem, nisi suæ ipsius propensioni animi refragetur, damnat. Quæ in eo apparent, magna & imperatoria sunt. Erroris fatendi simplicitas, mansuetudo, admonitionum etiam asperrimarum patientia, sui ipsius victoria, qua se erroribûs admisis palàm evacuare, dignitatem verò suam ab infestis hominum iudiciis contendit eximere ; virum profecto loquuntur non simulatè magnanimum. Multi errores sunt, à quibus animus vel mediocriter bonus præservari aut fortuna potest, aut alieno consilio. At Principem innutritum assentionibus ad pœnitentiam errati adducere non nisi ordinariâ maior virtus potest. Ita emendari laudis plus habet, quàm numquam, quod emendes, committere.

Omnium ferè regum sunt, Idomeneus quæ gessit perperam. At quotusquisque agit illorum, ut emendetur, quod agit Idomeneus ? Mihi certè neque tunc desierat esse venerabilis, cùm permisit, ut quæ sentiret, corrigerem. Itaque & tibi venerabilis sit, mi Telemache. Atqui istuc dum tibi suadeo, non tam Idomenei famæ quàm utilitati tuæ consultum eo.

Hac disputatione Mentor docebat Iuvenem, quàm periculosum & iniquum sit, censoria severitate alienos mores perstringere, illorum maximè, quibus ambiguum pèrque difficile imperandi in-

cum-

cumbit onus. Monebat deinde Mentor, tempus maturum esse itineri. Itaque, vale, inquit. Salenti reditus tuos expectabo. Fac memineris: Timenti Deos nihil timendum ab hominibus. Manent te extrema discrimina. At certus esto, semper tibi præstò fore ab Minerva auxilium.

Sub hæc verba admonebat Telemachum animus, adesse ipsam Deam. Et fanè cogniturus fuit, hanc eandem esse, quæ propterea cum ipso haberet sermonem, ut spe ac fiducia roboraret; nisi iuvenis memoriæ imaginem Mentoris restituisset his verbis: Nunquam, mi fili, dimitte ex animo, quam infantia tuæ impendi curam, ut ne Ulyssis virtus & sapientia orbi periret in filio. Cave, agas, quod sit à tantorum Heroum exemplis præceptisque, quæ ego tradidi tibi, disiunctum.

Iàmque suprema montium cæperant à primo sole collustrari: cùm reges hospites abeuntes Salentò, ad copias suas instituunt reditum. Atque hæ, ut tendebant extra urbem, acceptò signò exordiebantur iter. Promicabant ab omni exercitu ferreæ cuspides, in quas desinebant hastilia: frangebant oculum fulgure paulò mitiùs coruscantes clypei: subvectique ad cælum pulveres innoxiam primæ diei inferebant nubem. Egressi quoque ex urbe Idomeneus & Mentor officio comitandi in castra fœderatos Principes, cùm iam moram recusassent itineris. Inter mutua denique argumenta non fictæ amicitia discessum. Nec dubitavere focii, stabilem pacem fore, perspecto Idomenei candore, quem longè alium nuper criminabantur sinistri nuntii. Cuius quidem rei causa erat, quòd, qui de Idomeneo nuntiabant, non dotes

animi eius, sed quibus se permiserat, iniqua assentatorum consilia intuebantur.

Profecto exercitu, Mentor, ut totam urbem inspiceret, ab Idomeneo deducitur. Tum quidem ille regi: Age, inquit, numeremus, quot tibi in urbe, quot in agro homines; missosque in numerum describamus. Videamus deinde, quot ex illis colendæ terræ idonei; quantumque frumenti, vini, olei, rerumque aliàs utilium illa reddat annis mediocriter fertilibus. Hac ratione cognoscemus, quantum alendis incolis opus, an agri ferant? & num præter populi alimenta gignantur, quorum copia quæstuosum cum extraneis promittat commercium? navium quoque nautarumque, quos habes, numerus ad æstimandas vires tuas recensendus. Itaque portum vidit: naves singulas ipse inscendit: sciscitabatur de regionibus, in quas navigarent mercatum; quas illuc merces aveherent, reveherentque? qui faciendi sumptus, dum peregrinaretur, in navem? ecquæ mutationes mercatorum? societatum item, quas coniungerent, ecqua & num sancta ratio, integræque fides? neque volebat ignorare, quænam essent pericula damnaque timenda ex naufragiis aliisque eventibus, ut detrimento institorum atque inopiæ posset præveniri, nimio lucri desiderio sæpe viribus suis tentantium ampliora.

Iubebat severè animadverti & sine discrimine in decoctores æris alieni, quoniam etiam illi, qui mala fide non agunt, rarò vacant temeritate. Rationes quoque præfinivit damnis creditorum prævertendis idoneas. Quippe magistratus creabat, qui ab mercatoribus rationem mercium, lucri,
impen-

impensarum, negotiationumque acciperent. Prohibebantur aliena exponere perdendi periculo; sua verò mediam duntaxat partem licebat in discrimen dare. Porro negotia, quæ unius è societate facultatem superabant, iam agebantur communi sociorum facultate. Integritas constitutionum, quæ memoratis adiectæ societatibus erant, pœnarum muniebatur rigore, gravissimè videlicet luiturâ, qui fecissent fraudem. Fuere præterea liberissima commercia, minimèque molesta ex vectigalibus, imo oppetenda ex donis, quæ relaturus erat, qui negotiationem novæ gentis Salentum convertisset.

Ergo populis undique & continuò confluentibus, huius urbis commercium Euripum quendam referens, incolis alias atque alias opes velut succedentes sibi fluctus aggerabat. Tributis non advenientium non proficiscentium mercium ingravescabant pretia. Quidquid advehebatur, per se proderat oppidanis; avecta relinquebant, quod erat profuturum. Portum verò ipsum sacrarium dixisses iustitiæ tot tamque diversis gentibus inter se actitantibus æquissimo iure; visâque ex altissimis Salenti speculis sinceritas, candor, & fides è longinquo populos ad innoxia negotia invitare. Mercatores huc Oceanò vecti, seu qui solem reddidit orbi, seu qui subtrahit, non quietiùs, non securiùs agebant domi, quam Salenti.

Sed neque interiora urbis Mentor omittebat. Ille lustrare publica horrea, promptuariâque mercium; ille opificum tabernas, forâque communia obire. Verabat ab externis vendi apta inducendo luxui molliendisque animis. Quæ in vestibus, ali-

mentis,

mentis, supellectilibus observanda, quæque in extruendis ornandisque ædibus pro conditione incolentium, præscribebat. Interdictis denique ornamentis omnibus, quæ auro argentoque fiunt: Res una, inquit, rex, quæ populo tuo sanam modestamque impensarum continentiam persuadeat, exemplum est, quod à te prodendum, ab ipsis imitandum erit.

Ecquidem quæ in te cadunt sub oculos, maiestatis dignitate quadam carere haud debent. Ceterum hanc egregia custodia corporis, hanc nobilissimi proceres, lateribus se applicantes tuis, fatis superque prodent. Contentus esto veste ex lana primæ notæ, & imbuta murice. Optimates idem genus texti ferant. Itaque habitus tuus eorum similis erit, colore duntaxat faciente discrimen, & quod oram tunicæ tuæ Phrygium opus ex auro præter luxum distinguet. Hæc ipsa varietas colorum distinguendis diversis hominum ordinibus ferviet; neque auro argentove eam in rem aut gemmis habebis opus. Ceterum ordines populi tui ex nascendi conditione divides. Muneribus amplissimis præficiendi, quorum antiquissimum & nobilissimum genus. Qui muneris aliquid gradusque consequuntur meritorum suffragio, sine invidia conquiescent in secundis subselliis post eos, quibus primas asserit diuturna possessio. Sed neque his invidet inferior nobilitas, si illos dedoceas ex immaturè collaris dignitatibus pristinae conditionis oblivisci, & moderatè sese modestèque gerentibus, quas par est, laudes adhibeas. Illud verò discrimen maximè extra invidiæ versatur iactum, quod ex maiorum præcellenti serie gignitur.

Qui

Qui à rege sunt proximi, primique ordinis, candidas vestes gerent circumeuntibus fimbriis ex auro; ex qua item materia anulum digito, collo torquem cum imagine tua impressa nummo inferent. Altera classis velabitur cæruleâ tunicâ, in argenteos desitura limbos, neque nummum sed anulum tantum illi permittes. Viridis color eorum erit, qui sequuntur proximè. His & annulo carendum & fimbriis; nummum addes. Quarti ordinis amicula crocea induent; rosea quinti. Violacea sexto dabuntur. Ultimus, qui plebem infamam complectitur, album flavo colori miscabit. Hæc in liberis & ingenuis vestiendi ratio. At ex cineris forma in nigrorem declinabunt mancipiorum indumenta. Ita gratuita erit & expedita cuiusvis distinguendæ conditionis suæ copia: ita luxûs nutriculae artes exulabunt Salentô; quarum magistri impostherum aut necessariis tantum artibus opificiisque se dabunt, quæ perpauca sunt ob ingenitam naturæ humanæ parsimoniam, aut exercendis commerciis, aut agris. Sed neque materia textilium, nec forma vestium libera sit obnoxiaque eorum, qui perficiunt, arbitrio. Neque enim permitti viris debet, quos ad vitæ genus serium egregiumque colendum natura destinavit, ut inveniendis parandisque reclamante nativo sanoque decore cultibus vestium tempus aut comburant ipsi, aut ipsiis finentibus feminæ, licet ex hac sollicitudine vanissimæ occupationis mitius viris obiurgandæ.

Itaque Mentor sumptuum luxuriam, ingens publicis moribus malum, castigabat non secus, atque olitoris demitur manu, quidquid in arborum ferti-

ferti-

fertilitatem peccat. Redibat eiecto fastu ingenua & frugalis simplicitas. Civium quoque fervorúm-que alimentis constituta ratio. Vah probrum, exclamabat ille, viros summos & nobilissimos documenta amplitudinis suæ in lautitiis ciborum reponere, qui vigorem animis, qui sanitatem furtim eripiunt corporibus! cùm verè credere se debeant fortunatos, si sobrii, si ab auctoritate & potentia sufficientes in alienum subsidium, si laudabiles denique sint à probitate facinorum. Sobrietas optimum cibi etiam vilissimi condimentum. Hæc sanitatem in annos quàm plurimos roborat: hæc non honestiùs quàm constantius oblectat animum. Itaque tu quidem rex vulgò pascêris meliùs, sed à iusculis non exquisitiùs ad gulam. Ars quippe ultra veram necessitatem humanum irritandi palatum disciplina quædam est verissimi veneficii.

Idomeneus non aliàs meliùs agnoscebat, inquam suam indulgentiam fuisse, quæ novellæ colonos civitatis in mollitiem & corruptelam morum dedisset, neglectis scilicet nullis non legibus, quibus à Minoë sobrietati fuerat cautum. At Mentor satis gnarus leges etiam instauratas frugis haud esse, nisi vim & robur ab regis exemplo acciperent; quippe ex quo uno legum penderet auctoritas: id quidem haud obscurè declaravit Idomeneo. Qui sine cunctatione secutus monentis consilium, instituta regalis mensæ ratione, nihil deinceps in eam curabat inferri præter panes plurimi alimenti, modicum vini vernaculi iucundo sapore, cibosque vulgatos usu, qualibus vescebantur ad Troiam. Igitur prodiga mollities, cui paulatim epulantes assueverant, exolevit, nemine salubre institutum

tutum auſo aſpernari, cui ipſe adeò rex volebat eſſe obnoxius.

Molliores deinde moduli etiam remoti, qui ad ſœmineam teneritudinem iuvenum animos ſubmitterent. Neq̃ mitiùs actum crudis comeſſantium vociferationibus veriùs quàm cantibus; quoniam capiti haud paulò æquiores quàm vinum, mores optimos ad importunitatem & impudentiam provehent. Modus quoque numeris imperatus, quibus Deorum laudes Heroùmque præclariffima exempla in templis ſolenniores referrent dies. Rurſus columnæ, eminentiæ rariores (proiecturas vocant) xyſti ſeu porticus, ampliora architecturæ ornamenta, Deorum tantùm ædibus permiſſæ. Exempla etiam tradidit bellè, citra pompam tamen luxùmque, architectandi; ex quibus mediocri ſpatio terræ imponi poſſint diverſoria iucunda & ſuffectura numeroſæ familiæ, tum pervia ſalubri auræ opportunaque discretis ad manendum locis, tum compositionem munditiàmque facilè recipientia, & leviffimis impendiis à vitio ruinæ detrimentiſque vindicanda.

Iubebat interiora ædium, quæ illuſtriores eſſent, laxari in atrium, procurrente modica porticu cum columnis; fierique minora cubilia accipiendis ingenuis hominibus. Copia conclavium, quibus carere patiebatur neceſſitas, apparatusque cum primis interdicti.

Atque hæc ædificiorum ſingulis familiis congruentium varietas citra notabile impendium egregiam & ad artis præſcriptum exactam tribuebat ſpeciem. Contra verò pars altera oppidi, quam incolæ pro inſolentia elati arbitrii ſui iam tum
abſol-

absolverant, magnifica quidem, ceterum minùs amœna erat opportunaque usui incolentium. Toti operi exiguò temporis intervallò ultima accessit manus. Quippe ex finitima Græcia frequentes adfuère architecti; accitque ex Epiro & aliunde magno numero structuræ muralis opifices, ea conditione, ut; Salentò condito, fas ipsis esset fixis in agro eius domiciliis manere tam ad subigendam partem rudis & inculti soli, quàm habitatoribùs celebrandam regionem.

Pictoria statuariaque etsi meliores videbantur Mentori, quàm quas oporteret abrogari, peritos tamen earum artium ad modicum censebat numerum reducendos. Aperiebat scholam: datique limato & exquisito ingenio viri, qui tyronum suorum facultatem ad discendas artes periclitabantur haud obiter. Hac super re ita disputabat Mentor: Ad artes, quibus simpliciter opus non est, inepti sunt languentes & hebetes animi. Proinde ad eas admovendi ex adolescentibus soli, quorum habile ingenium ipso mediocritatis fastidio promittat in arte excellentiam. Ceteri artibus nati minùs ingenuis, ad quotidianas reipublicæ necessitates transferendi. Pictorum sculptorùmve proprium officium & unicum nobis sit, illustres viros factaque illustria propagare ad posterorum memoriam. Aut enim in ædificiis publicis, aut maiorum monumentis statuendæ imagines sunt earum rerum, quas pro patria præter ordinem civium virtus gessit. Ceterum Mentor etsi vehementer proposuerit temperantiæ sumptuùmque mediocritati consulere: equorum nihilominus curricula, seu hippodromos, palæstrasque, ingentes structura-

rum

rum moles, laudavit, aliosque locos certaminum, quæ habilitatem corporibus & robur darent.

Reiecta præterea fuit incredibilis multitudo mercatorum, pannos artificiosè textos, acu pretiosè picta, vasa aurea argenteaque, Deorum, hominum, & animalium expressa imaginibus, liquores arte mixtos odorésque vendentium. Pro his imperata supellex sine cultu, & difficulter atterenda usu. Itaque Salentini post publicas nuper de paupertate querelas nunc abundare opibus cœpère. Sed & has ipsas ausi contemnere (ut quæ non carent fallacia, magisque exhaurirent quàm ditarent) eò solidioribus verioribusque fortunis augebantur. Ditescimur enimvero, inquietabant, spernendo divitias, quæ patriam spoliant. Egere desinimus, egendi necessitatem attenuando & accommodando ad veram frugalis naturæ indigentiam.

Maturiùs deinde ad armamentaria & horrea se vertit inspicienda, visurus, an bello opportuna instrumenta, ceterique militiæ adessent apparatus. Aiebat enim, promptam esse oportere gerendi belli facultatem, ne gerendi eius offerri possit necessitas. Sine mora igitur collecti, qui ex ferro, chalybe, æreâque opera facerent. Exaudiri tum ardentium fornacum sibilantes crepitus: volvi sursum fumi flammarumque turbines, quales in vastissimum terrorem Ætnæ eiaculantur specus: aures obtundere incudum geminata supplicia, quæ montium vicinarumque crepidinum repercussa obiectu quandam eius insulæ faciebant speciem, in qua Cyclopes Vulcani laudibus ad maturanda Deorum patri fulmina incalescunt. Videre erat, prudentissimi senis consilio omnia gerendis bellis

Q

neces-

necessaria præter noxam integerrimæ pacis præparari.

Subinde Mentor cum Idomeneo egressus est rus. Iacebant ingentes tractus soli, opulenti, nisi defuissent, qui colerent. Agri plerique mediam duntaxat partem subacti. Causa desidia, & paupertas erat agrestium, utpote destitutorum operis, ideoque & animo ac viribus, terram, quantum par erat, exercendi. Mentor aspiciens inertem situ squallentes campos: Isti quidem, rex, inquit, ditare incolas desiderant. Sed desunt manus, quæ, quod offertur, accipiant. Age! educamus ex urbe opifices, quorum opera adeo usum non habent; ut etiam officiant moribus. His istas planities, istos colles conferendos trade. Habet (quod fateor) non nihil difficultatis istud consilium, quod id hominum genus, quippe exercens opera, quæ à sedentibus fiunt, rude sit agriculturæ: at ecce tibi aliquid huic malo remedii! Dispertiendum inter ipsos est possessore vacuum solum; evocandique ex finitimis auxilio, qui asperiora pro ipsis opera suscipiant. Nec recusabunt, opinor, venire affines; si iustam mercedem paciscare de ipsis frugibus, ad quas ferendas novitium instituent solum. Quid? quod attributa postea eius parte, quam possideant, populo tuo aliàs minus adhuc frequenti ipsos potes adiacere. Quod si patientes laboris legumque observantes sint, meliores profecto subditos ne optabis quidem; habebisque, unde vires tuæ augeant. At rus traducti opifices liberos suos erudiendo ad laborem agresti vitæ assuefacient. Iterum cæmentitii operis structores, aliunde ad condendam urbem tuam profecti, promissò tenentur partem
ruris

ruris colere; trullamque commutare buri. Hos, ubi primum ultimam oppido addiderint manum, subditis tuis adscribe. Gaudebunt sibi in potestatem transire tam boni nunc domini. Utque ob firmam corporis habitudinem sunt paratioris industriæ: ita collocatis in agros opificibus stimulos laboris exemplo subiicient. Hac ratione agri tui lapsu temporis paulatim robustis summique laboris cultoribus abundabunt.

Neque est, quod incremento huius populi metuas. Imò proximè numerare vix poteris, modò facultatem nuptiarum difficilem ne reddas. Hanc in rem cape sis hoc simplicissimum consilium. Quotusquisque mortalium non aspirat ad nuptias? à quibus quod arceat, nihil est præter miseriam. Iam tolerabilia tributa si exigas, cum uxoribus liberisque vitam tui agent expertem gravioris molestiæ. Numquam enim sine beneficio terram quis colit, quæ alimenta reddit sollicitæ industriæ, nec bonâ sua negat nisi averfantibus labore adipisci. Augentur autem, nisi Principis obstet avaritia, pro numero sobolis agrestium opes. A primis enim unguiculis administratos se præstant genitoribus liberi. Minimi natu vervecum greges, armenta adultiores ducunt; &, quibus ætas iam firmior, cum parentibus vacant ruri. Interea matres cum reliquis, qui domi secum agunt, viro charæque soboli ab diurno opere languidulum corpus retracturis parat cænulam: admovet alternas manus pecudi, beatamque lactis copiam ab uberibus elicit: sarmenta congerit diffusis ignibus, quibus ceu spectaculo in orbem apposita, sceleris pura, fugitansque litium familia vespertinis can-

tiunculis præludit futuræ ex somno dulcedini: effingit caseos: castaneas nuces ceteraque poma agresti arte ita præmunit ad vitium, ut ætatem sine detrimento iustæ maturitatis ferant.

Revertuntur rure magistri pecorum ad humeros hærente tibia; temerèque coeuntes ad vesperinum otium domesticos oblectant numeris, quos ex finitimis viculis cursim aurium arripuere magisteriò. Imperata vacatione ruri tergum arator obvertit; suspensumque boves aratrum referunt, languori permittentes se, laxatis lassitudine cervicibus, fracto & inertis gradu, nec tum corrigendo subiectis stimulis. Cadit cum sole labor, & quidquid languorem artibus creat. Stringunt universam naturam dulci fascino sparsa Deorum iussu per orbem papavera, opportunum ad anxias curas remedium. Obdormitur: non sudor, non molestia futuræ lucis prospicitur. Fortunata gens, quam nec impellit ambitus, nec turbat suspicio, nec infelix collidit astutia! fortunata, inquam, si tamen regis bonitas, ab Astris donum, patiatur esse innoxiam. At quæ crudelitas, si, quæ natura sudori tribuit præmia, terræ fruges scilicet, auferuntur ambitioso consilio? sufficeret profectò uberrimus naturæ sinus alendo infinito populo, tenui victu operèque delectanti. At quorundam mortalium insolens lautitia magnam partem humani generis ad extremæ pauperratis deducit inedia.

Scitanti abhinc Idomeneo: Quid ageret, populo negligente incumbere in cultum opulenti soli, quod ipsi attributum? suasit Mentor, ut tunc omisso communi tritòque dominorum more rationem prorsus obversam teneret. Hoc, inquit, potissimum

rissimum agit inconsulta regum avaritia, ut diligentissimos quosque in excolendo fundo subditos gravissimis tributis & censibus vexet, iniqua scilicet spe, ex hīs fontibūs non aliās leviori negotio obtenturam, quæ exigit, æquior incitas sibimet procuranti desidiæ. Tu proscribe hunc morem, tam probitati infensum, tam facilem sceleri, causamque, tum regi tum regno pestiferæ inertia. Constitue pretia, decerne mulctas, additis, opus si erit, insignioribus pœnis in eos, qui agri sui curam abiecerint; non secus ac in desertorem stationis suæ militem animadverteres. Contra qui augescente familia augent & industriam agrestis operæ, præmiis affice, immunitatibus dona. Tunc enim vero strenuè propagabitur soboles: labor amabitur, & inter honesta incipiet reputari. Emerget ex vilitate sua agrestium conditio; utpote exempta plerisque molestiis: extinctâ contumeliâ reparabitur aratri dignitas, cum occupabit, quæ patriam modò defendere, victrices manus. Neque enim minus erit honestum acceptos à Maioribus agros tranquillis temporibus excolere, quàm exorto bello defendere. Florentissimum Imperii decus renovabitur: flavebit Cereale caput circumeuntibus spicis: sub pede Liberi Patris uvæ dissilient, ex quibus collecti liquores laudem Nectari præripientes rivos per prona montium devolvent. Et quos secundum perennium aquarum ripas & margines pastoritia plebs vocibus admetitur numeros, depressa vallium acceptos reiicient, gregibus interea carpentibus pabulum, & luporum securitate inter flosculos herbescens foli lepidè grassantibus ad saliendi lasciviam.

Q 3

Tu

Tu vero, Idomeneu, scatebra si fueris tam multiplicis boni: si tot populi suaviter acquiescent sub umbra tuæ mansuetudinis: nonne facultatem fortis etiam optimæ superabis? numquid major hæc ad animi voluptatem gloria, quàm vastare regna, terrarum suarum angulos omnes haud paulò, quàm devictarum gentium, minùs obferere cædibus, implere tumultu, formidine, suspiriis, terrore, inedia, desperatione?

Fortunatum sanè regem, si quem Deorum favor animo tam excelso instrueret, ut hunc in modum ipse velit esse populi voluptas, regni que sui amœnum idque perenne spectaculum! Enimvero univèrsus terrarum orbis tantum abest ut potestatem eius propulsaret armis, ut etiam supplex eandem sibi deposceret.

Obiiciente Idomeneo, tam opulenta pace si fruerentur, fore demum, ut labefactatis voluptate moribus fortunas suas in auctorem earum regem arment; falsò id timeri à regibus Mentor asserbat; tamque speciosò titulò subditum censibus atterenti regum luxuriæ plerumque patrocinari adulationis mendacium. Sed en! quam facile fit hunc metum eximere regibus. Quas modò condidimus agrarias leges, ipsæ industriam vivendi rationem ab iis exigunt. Namque remotis opificiis & artibus, quibus parari amant opes superfluæ, præter necessarium victum nihil quantumlibet divites possidebunt. Sed & divitiis haud parùm demer, quod prono ad nuptias aditu plurimùm augebuntur familiæ. Quæ si prolibus, non fundis abundant; cogentur rem rusticam, ne alimenta deficiant, continuatâ industriâ obire. Voluptas & otium

otium insolentiam ac seditiones cient. Tui verò panem quidem liberalem, at tum primùm habebunt, cùm glebæ, quam exercent, eorum sudorem labor miscuerit.

Ab hac ergo tam salubri continentia ne gens tua desciscat, iam nunc in portiones, quas singulæ familiæ possideant, rura describes. In septem classes (quod nôsti) seu ordines gentem omnem divisimus. Cuilibet familiæ sui ordinis haud amplius permittendum glebæ, quàm ad alendam se habebit opus. Quod si observaveris institutum, fas non erit nobili venire fundos pauperum. Aliquid ruris, quod colant, habebunt singulæ, permodicum tamen: at eo ipso ex capite amplius fervebit huius permodici colendi industria. Quod si autem longa ætate agri deessent auctæ incolarum multitudini, deducendæ forent coloniæ incremento huius Imperii profutura.

Præterea utilissimè mea ipsius opinione curaveris, ne vina in regno tuo nimium vulgentur usu. Destruendæ igitur, si abundant, vineæ. Magnorum enim malorum semen vinum. Morbos, lites, seditiones, otium, laboris fastidia, turbas domesticas gignit. Aut igitur reservandum ad remedium unius valetudinis, aut (quoniam singularis est illius inter liquores præstantia) ad libationes tantùm, quas in celebritatibus præter ordinem Dii accipiunt. Verùm huic instituto, quod refert tanti, nisi tu eius præibis exemplum, ne putes fore, qui se accommodent. Proximum, quod agas, est, ut Minois legibus de instituenda sobole perpetuam observantiam asseras. Aperiendi litterarii ludi, qui ad Deorum timorem, ad amorem

patriæ, ad legum reverentiam, ad honorem, præ voluptate præque ipsa vita æstimandum, initia ætatis erudiant.

Magistratus faciendi rectè observandis familiarum tum omnium tum singularum moribus. Sed & tu partem huius curæ tibi putes suscipiendam, utpote ob id maximè rex seu pastor populi, ut gregi tuo dies noctesque invigiles. Ita vim magnam perverſitatum criminumque prævertes. Quæ verò prævertere non possis, illicò & quibus par est, supplicii accipe. Beneficium est, maturata animadversio- ne cursum iniquitatis reprimere. Hominis unius morte ingentes redimuntur clades, efficiturque, ut postea rariùs quoque adhibita timeatur severitas. At verò quàm ad detestationem perverſum iudicium est persuadentium sibi, securitatem non dari, nisi populos opprimant; erudiri & institui non curent: ad semitam virtutis adducere sibi que conciliare negligant: minis & terroribus in desperationem extremasque angustias ita impellant, ut numquam possint aut liberè respirare à miseriis, aut tyrannidis iugum à fessis cervicibus abicere. Hæccine ratio imperii pacifici? hæccine ratio enitendi ad gloriam?

Scito, minimum reges posse, ubi exercent imperiosissimum imperium. Rapiunt, destruunt omnia: solum omne possident. Sed & istud languet; & in desertum iacet incultus ager. Attenuantur in dies oppida: exarescit opum scatebra, commercium. Rex, qui nec solus regere potest omnia, nec rex esse nisi per suos, ipse paulatim facit, ut pereat, dum sensim subtractis opibus perire cogit suos, per quos & dives & potens est.

Exui-

Exiit regnum copiâ fortunarum & hominum; quod quidem damnum maximum est minimèque reparabile. Quod habet subditos, tot facit limitum non patiens potestas eius mancipia. Vallatur obsequiosis adulatorum cumulibus. Fingitur illi cultus, quem debemus Cœlestibus: ad palpebræ trepidatur motum. At subeat vel tantilla mutatio: desiderabit auxilium tam portentosa, tam extra ordinem proiecta potentia. Alienati tum à domino sunt populorum animi, fessisque à tyrannide & acerbatis cunctis Imperii statibus, nulla eidem relinquatur fiducia præstandi à suis auxiliis. Violenter imperando cogit membra huius corporis omnia uno ardore mutationem anhelare. Primus quisque ictus, qui in vanum non labitur, idolum tantæ crudelitatis præcipitat, & calcium supponit ludibrio. Contemptus, odium, metus, exulcerati dolor animi, diffidentia, omnes denique motus, quibus in diversa solet humana mens trahi, iunctis viribus se opponunt tam invisæ potentiæ. Rex, cui rebus inaniter florentibus nemo audebat, quæ vera essent, exponere, illis mutatis, reperiet neminem, cui aut excusatione aut defensione videatur dignus.

Adeò non potuit his argumentis occurrere Idomeneus, ut deinceps nihil cunctaretur, vacuum solum in certos modos seu portiones digerere, tum ut eas inutilium artium hominibus & operariis frequentaret, tum ut omnia, quæ destinaverat animò, maturaret in opus. Ceterùm hinc exceptos agros voluit, quos vacantibus cæmentitio operi assignaverat; quoniam nisi perfectò oppidò agrorum curam possessorum suorum manumque non poterant accipere.

Q 5

TELE-